DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHOLERA.

13

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHOLERA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliffimi SENATUS ACADEMICI Confenfu, et Nobiliffimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini fubjicit

STEPHANUS BECKWITH,

ANGLO-BRITANNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.
ET
LYCEI MED. LOND. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque folitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCVII.

JOANNI FOTHERGILL

ARMIGERO,

DE KINGTHORPE

IN COMITATU EBORACENSI;

VIRO SUMMÈ HUMANO,

HANC DISPUTATIONEM

INTEMERATÆ AMICITIÆ,

GRATIQUE ANIMI, PIGNUS

DICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CHOLERA.

CUM almæ hujus Academiæ leges poſcunt, ut quiſque honores medicos ambiens aliquam diſputationem conſcribat, hoc opuſculum paucula de Cholera complectens edere decrevi.

Hæc affectio a CULLENO ſìc definitur.

" Humoris bilioſi vomitus, ejuſdem ſimùl
" dejectio frequens ; anxietas ; tormina ; ſu-
" rarum ſpaſmata."

Hoc

Hoc genus in duas ſpecies diviſit, quæ ſunt,

1. " Cholera *(ſpontanea)* tempeſtate calida, " ſine cauſa manifeſta oboriens."

2. " Cholera *(accidentalis)* a rebus acribus " ingeſtis*."

De prima autem ſpecie ſola tractabo; ſignorum enim concurſum, qui ſecundam ſpeciem comitatur, ex cauſis omninò diverſis, ab his quæ germanam choleram excitant, pendere mihi perſuaſum eſt.

HISTORIA MORBI.

Hoc malum ſæpè per populum graſſatur, præſertìm in regionibus calidis, in quibus potiſſimùm viget: in hujuſmodi quidem terræ plagis, quavis anni tempeſtate oriri poteſt; plerumquè autèm in his etiàm, fervidiſſimis tempeſtatibus ſævire ſolet.

Neque

* Synop. Noſol. Method.

Nequè terræ plagæ, in quibus cœli temperies eſt æquabilis, nec frigida nimìs nec calida, a dira quam edit ſtrage, immunes evadunt: in his autèm, tempeſtatibus calidis ſolis ſe oſtendit *.

Citiùs, aut ſeriùs, tempeſtate ſua, proùt calor inceperit, prodire ſolet †. Morbique acerbitas, ut SYDENHAMUS obſervat, caloris magnitudini pro rata ratione reſpondet.

Imbrium vim in regionibus ac tempeſtatibus calidis, temperie aëris admodùm fervida, ac ſicca, prægreſſa, morbum, cœli temperiem refrigerando, potiſſimùm concitare auctores obſervant. Nullo autem neque frigore admoto, neque cœli temperiei, neque victûs, aut vitæ generis, mutatione, quæ percipi poteſt, prægreſſa, contingere obſervatur ‡.

Omnem

* CULLEN's Firſt Lines, Vol. iv. p. 42.

† CLEGHORN on the Diſeaſes of Minorca, p. 142.

‡ CULLEN, ibid. p. 44.

Omnem ætatem, fexum, ac temperamentum adoritur, fed præcipuè juvenes, luxui et inertiæ deditos; et præfertìm, teftante CHALMERS, qui prava alimentorum concoctione, et tubi alimentarii acore laborant *.

Languor, naufea, et ventriculi et abdominis dolores choleram nonnunquam prægrediuntur: Morbi vero impetus eft plerumque fubitaneus, et violentus; æger enim vomitione et dejectione, vel fimùl, vel alternis vicibus, urgentibus afficitur.

Materia, quæ fupra infraque ejicitur, conftat potiffimùm ex felle, cujus fpecies funt admodum variæ; eft enim modò flava, modò viridis, aliàs fufca, aliàs nigricans, fumma ægritudine, fævifque torminibus comitata.

Eodem tempore, abdominis, et interdùm totius corporis, et præfertìm artuum mufculi violentis fpafmis fæpè corripiuntur.

Abdomen

* On the Difeafes of South Carolina, Vol. i. p. 200,

Abdomen ſimùl diſtenditur; epigaſtrii ardor et dolor torquent. Arteriarum pulſus, qui, morbo inchoato, pleni et frequentes erant, brevì ſe ſubmittunt, et parvi et abnormes evadunt; ſudore gelido, animi deliquio, cum ſumma debilitate, triſtitia, et potûs frigidi deſiderio, ſimùl ſupervenientibus.

Choleræ impetum pyrexia rarò comitatur; quamvis enim arteriarum pulſus, et ſpiritus crebri et abnormes fiant; opii tamen uſú adeò plenè conſopiuntur, ut nullus nobis pyrexiam adfuiſſe opinandi locus relinquatur.

Hoc modo morbus magnâ violentiâ progreditur, donèc ægri vires admodùm, et ſæpè ſubitò exhauriuntur; ità ut vita unius diei, imò nonnunquam paucarum horarum ſpatio, ut Bontius nobis confirmat, extinguatur.

In gravioribus morbi exemplis exinanitio adeò præceps eſt, ut alvus, quinque vel ſex horarum ſpatio, centiès ferè dejiciatur; ægrique corpus macie adeò conficitur, vultuſque

uſquè

uſque adeò mutatur, ut amicis maximè familiaribus vix agnoſcatur*.

Pulſus jàm rapidè labaſcit; ità ut vix, aut nè vix quidem, percipi poſſit; frigus extremorum, palpitatio, ſingultus, ſyncope ſuperveniunt; urina ſupprimitur; ægerque convulſionibus, vel animi deliquio, ineluctabii vi lethi rapitur.

Hæc eſt forma mali maximè communis; aliæ autem varietates exiſtunt; in nonnullis enim exemplis morbus eſt multò mitior; unum vel alterum diem perſtat, et tunc paulatìm diſcedit; obſervandum eſt autem morbum utcunque mitem, ſine medicina rariſſimè ſanari†.

Alia eſt porrò varietas omnium, ut Monro nobis in prælectionibus ſuis confirmat, longè periculoſiſſima, quâ æger vomitione ſola afficitur

* Macbride's Pract. Phyſic, p. 461.

† Cullen's Firſt Lines, Vol. iv. p. 41.

citur, citiùſque quam communi choleræ formâ, opprimitur.

Cadavere inciſo, ventriculi ac duodeni ſuperficies interna gangrænâ affecta obſervatur; porrò externa ventriculi ſuperficies felle ſuffuſa cernitur: et veſicula bilis, et ductus biliarii laxati, et mole aucti apparent*. Hìnc CELSUS de hoc morbo tractans inquit, "Hic quidem morbus et acutus eſt, et inter inteſtina "ſtomachumque verſatur sìc, ut, cujus potiſ-"ſimùm partis ſit, non facilè dici poſſit †."

Præter has ſpecies, alia exiſtunt phænomena bilis redundantiam indicantia; heparque ipſum aridum, humoribuſque ſuis ſpoliatum invenitur ‡.

CAUSÆ

* HOFFMAN, Vol. ii. p. 166.

† De Medicina, lib. 4. cap. 11. p. 219.

‡ BONET. Sepulchret. edit. Genev. ann. 1679, tom. 2. lib. 3. ſect. 9. obſ. 2.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quamvis benè multa de rebus circumſtantibus, quæ choleram comitantur naſcentem, cognoſcuntur; cauſas tamen ejus peculiares, earundemque operandi modum, atra adhuc caligine mergi affirmare nòn dubito.

Hujus, ſicuti cæterorum morborum, cauſas, medici ad duo capita, remotas nimirùm et proximam, retulerunt.

Remotas in *prædiſponentes*, et *excitantes* ſive *occaſionales* diſtribuerunt.

Per cauſas *prædiſponentes* intelliguntur omnia, quæ corpus morbo opportunum reddunt; corporiſque mutatio his cauſis inducta vocatur proclivitas, vel opportunitas ad morbos.

Per cauſas *excitantes*, vel *occaſionales*, Medici volunt omnia, quæ, in corpore jàm proclivi facto, morbum excitant.

Ex

Ex morbi hiſtoria ſupra tradita diſcimus juniores, inertiæ, et luxui deditos, et præſertìm qui canalis alimentarii acore et mobilitate laborant, huic malo opportuniores eſſe, quàm ætate provecti, vel illi, qui rerum ſuarum ſatagunt, quibuſve opera vita eſt: Hinc opportunitatem in hunc morbum, in corporis, et potiſſimùm canalis alimentarii, laxitate, debilitate, ac mobilitate, conſiſtere colligitur. Cùm hæc autem corporis conditio, multorum aliorum morborum, nec minori quidem probabilitate, cauſa prædiſponens, inter medicos putatur; ratio eandem pro cauſa choleræ peculiari habendam vetat; adducitque ut comitem tantùm choleræ, huic, multiſque aliis morbis, communem, credamus.

Cùm cholera in regionibus calidis præcipuè viget; calorem, qualicunque modo agat, inter cauſas, quæ mortales eidem opportunos frequentiſſimè reddunt, colligere fas eſſe videtur: quoniam verò in regionibus, in quibus cœli

temperies eſt ſatis æquabilis, nec frigida nimis nec calida, nonnunquam ſe oſtendit, regionum calidarum vim, minimè comitem morbi indivulſum exiſtere manifeſtum eſt.

Hæc ſententia probabilior videbitur, cùm machinæ animalis calorem, quantacunque fuerit cœli ambientis temperies, ſemper eundem ferè perſtare perpendamus. Quamvis igitur hic morbus regionum calidarum proles frequentiſſimè exiſtat, calorem, eandem corporis temperiem ſupra normam naturalem augendo, concitare, vix concludi poſſe videtur.

Cauſæ excitantes æquè quidem obſcuræ exiſtunt; morbus enim nonnunquam, quando nulla hujuſmodi cauſa obſervari poteſt, ſe oſtendit: in hoc rei ſtatu tenebroſo, nodus plerumque ſolvi ſolet, aſſerendo opportunitatem in morbum eſſe admodum præcipitem: hujuſmodi autem ineptia nihil aliud eſt quam ignorantiæ vaframentum, nec unquam pro ratione redderetur, ſi vera cauſa, quæ dæmonis inſtar,

oculorum

oculorum aciem effugientis, latitat, deprehendi poſſet.

De nonnullis quidem cauſis choleræ occaſionalibus, qualia ſunt frigus, et humor, calorem intenſum excipientia, ſatis benè conſtare creditur; nam aquæ vim ex cœlo ſubitò miſſam, in regionibus ac tempeſtatibus calidis, aëris ambientis temperie admodum fervidâ ac ſiccâ prægreſſâ, morbum, cœli calorem minuendo, potiſſimùm concitare obſervatum fuit: morbum autem, nulla cœli mutatione prægreſſâ, neque admoto frigore, ſe oſtendere obſervatione conſtat.

His rationibus choleræ cauſas magna ex parte nobis ignotas eſſe adducor ut credam.

Hoffmannus, aliique auctores, plures alias cauſas choleræ excitantes memorant; qualia ſunt fructus immaturi, cibi pingues, cathartica draſtica, venena, arſenicum nimirùm, vitrum antimonii, &c. quamvis autem hæc cauſarum farrago ſigna choleræ propria ſimulantia

concitat,

concitat, hæc ad diarrhœam potiùs biliofam, aliofve morbos dejectionibus biliofis comitatos, quàm ad choleram genuinam, referenda videntur.

CAUSA PROXIMA.

Sunt quibus mobilitas morbofa, ex canalis alimentarii laxitate et debilitate oriunda, caufa choleræ proxima videtur: hæc autem tubi alimentarii conditio, utpote pluribus aliis morbis communis, caufa proxima effe nequit.

Alii opinantur frigus et humorem admota corpori, calore intenfo priùs foluto, cutis halitum reprimere; hunc repreffum ad inteftina deferri, quæ acrimoniâ fuâ ftimulat, et in motus abnormes ac violentos rapit, ità ut ductus biliarii mulgeantur, et omnia phænomena inducantur.

Hæc

Hæc autem frigoris ratio minimè admittenda eſt: Cutis enim halitum nemo hactenus acrem probavit.

Cullenus, eò quòd materia evacuata ex felle potiſſimùm conſtat, morbum ex aucta hujus ſecretione pendere, collegit: et ex eo quòd bilis præceps in duodenum delata ſigna concitat, eandem acrem eſſe confecit.

Cullenus autem effectum, pro cauſa habere, bilemque nullo argumento munitus, acrem reri videtur. Monro incommoda, quæ ex felle in hoc morbo proveniunt, magnæ ejus quantitati, in tubum alimentarium profuſæ, potiùs quàm dotibus mutatis tribuere ſolet, hanc ſententiam experimentis firmat. Bilem recentem in ranæ ventriculum injecit, ore animalis ſtatim conſuto, ne fel rejiceretur, rana brevì mortua eſt. Aliûs ranæ cavo peritonæi aliquantulum bilis recentis infudit, hæc quoque rana citò periit. Cuniculo infra panniculum carnoſum aliquantulum fellis bubuli recentis tepidi immiſit,

misit, cuniculus mortuus est. Ex his periculis bilem naturâ suâ acrem esse collegit *.

Ad summam, nihil nos de causa choleræ proxima, et pauca tantùm de remotis cognoscere manifestum est.

RATIO SYMPTOMATUM.

Cùm pauca tantùm de hujus morbi causis, sive remotis, sive proxima, intelliguntur; nos signorum rationem reddere vix sperare licet. Vomitio biliosa pendere dicitur ex motu peristaltico duodeni inverso, dejectiones biliosæ ex motu inferiorum intestinorum aucto, sitis ex fellis copia in ventriculo existente, tormina ex bilis acrimonia, singultus et palpitatio ex viribus corporis penè exhaustis, sanguinem ad cerebrum usque propellere non valentibus, sudor

* Audi. Prælect.

dor gelidus ex cutis vaſis laxatis, anxietas ex felle in vena portæ accumulato, &c.

DIAGNOSIS.

Cholera adeò derepentè impetum facit, ejuſque ſigna adeò violenta ſunt, ut facilè a quovis alio morbo dignoſci queat. Morbi, quibus facillimè confundi ſolet, ſunt diarrhœa et dyſenteria.

Cholera a diarrhœa diverſitate ſeminii earundem potiſſimùm ſecernitur. Choleræ enim cauſæ, quatenùs obſervatione judicare fas eſt, ad *unam ſpeciem peculiarem* pertinent: diarrhœæ autem cauſæ ſunt admodum variæ et numeroſæ.

Sauvagesius et Cullenus choleram mitiorem ab illis, quæ gradibus ad ſummum acerbitatis faſtigium aſcendunt, ſecernendo, quaſi magnitudinis gradus diverſam morbi ſpeciem

conſtitueret,

conſtitueret, haud parùm huic rei caliginis obduxerunt.

Hunc minorem choleræ gradum *diarrhœam bilioſam* appellârunt.

Hæc morbi varietas, quæ *cholera mitior* vocari debet, eiſdem anni tempeſtatibus, eademque cœli temperie, quâ cholera gravior ſævit, vigere ſolet; eiſdemque remediis ſanatur. Quorſum igitur diſcrimen, ſi gradu tantum diſcrepant?

Si res igitur noſologica tantum proſit, quatenùs diverſam medendi rationem indicat, nullum hîc iſtiuſmodi diſcrimen admittendum; cùm remedia eadem ſint.

Hinc ſola choleram a diarrhœa diſtinguendi ratio, quæ nobis ſuppetit, noſtra cauſarum, quibus utraque concitatur, ſcientia eſſe videtur: ubicunque loci hæc ſcientia manca eſt, aut deficit, ibi diagnoſis imperfecta ſit oportet.

Rush morbum cui infantes opportuni ſunt, deſcriptum, *choleram infantum* vocat; hæc febrem remittentem comitem habet, et phænomena adeò a cholera germana diſtant, ut rei noſologicæ admodum rudis ſit, qui eandem Choleram hallucinatus fuerit.

Cholera a dyſenteria ſatis facilè dignoſcitur; illa neque eſt peſtifera neque pyrexiam comitem habet; porrò dejectiones ſunt admodum diverſæ; in hac enim ſunt exiguæ, mucoſæ, ſpumoſæ, ſanguine, vel ſanie tinctæ, retentis plerumque aliquandiu fæcibus naturalibus, dejectiſque globulorum rotundorum, qui *ſcybala* nuncupantur, ſpeciem præ ſe ferentibus, quæ quidem omnia in cholera diverſa ſunt.

PROGNOSIS.

Quamvis cholera haud rarò Medicinæ cedit, nullus tamen forſan exiſtit morbus, ſi peſtem

ſolam excipiamus, qui exitium citiùs affert: in caſibus acerbioribus æger paucis horis improviſa vi lethi rapitur; neque tertio plerumque die ſuperſtes evadit; ſæpè viginti quatuor horarum, et nonnunquam multò breviori ſpatio, aufertur.

Choleræ mitioris exempla unum alterumve diem perſtare ſolent; et dein paulatim ceſſant; ſed in his etiam exemplis, ægri rarò ſine medicinæ auxilio revaleſcunt.

De morbi, adeò periculo pleni, eventu, cautiſſimè judicandum eſt. Res, animum ad ſequentia advertendo, plerumque prævideri poteſt. Si ſigna fuerint ſolito violentiora, præſertimque ſi vomitio et dejectiones ſimul urgent, neque ſponte, neque medicamentorum opere remiſerint, mors brevi expectanda. Inteſtinorum diſtentio, epigaſtrii ardor et dolor, ſitis inexplebilis, potûs frigidi deſiderium, arteriarum pulſus celeres, debiles, ac abnormes,

gravis

gravis anxietas, calor magnus, cùm ſpiritu difficili, et accelerato, ſunt mali ſigna ominis.

Frigus extremorum, ſudor gelidus, palpitatio, ſingultus, diſtentio nervorum, animique deliquium, periculum adhuc gravius indicant: urinæ ſuppreſſio, cæteris ſignis perſtantibus, periculi inſtantis indicium eſt.

Inſignis oris macies, et livor cadaveroſus, cum generali nervorum diſtentione, certi mortis prodromi exiſtunt.

Color exinanitionum nigricans præſagium exitûs inauſpicati minimè fallax apud Hippocratem exiſtimatus fuit; idemque de ſanguinis exinanitionibus, quippè quæ inteſtinorum gangrænam, aut roſionem, indicant, prædicandum eſt.

Prout hæc ſigna periculoſa plùs minùs abfuerint, aut antè medicinæ viribus, quam ægri vires exhauriantur, ceſſerint, plùs minùs fauſti ominis eſt; quamviſque nonnulla ex ſignis medicinæ pertinaciter obſtiterint, ſi æger

tamen

tamen diei ſeptimo ſupervixerit, bonum augurandum.

CURATIO.

Fauſtiſſimam medendi rationem in felle exinaniendo, ac diluendo; morboſa corporis, et præſertim inteſtinorum, mobilitate, corrigenda, corporiſque viribus reſtaurandis, conſiſtere, experientiâ conſtat.

Proximum horum medendi conſilium, morbi initio, antequam ægri vires convelluntur, abſolvi debet. Huic fini copioſus diluentium uſus, qualia ſunt juſculum bubulum, pullinum, aqua hordeacea, vel pulmentum tenue, optimè accommodatur.

His quidem diluentibus, in caſibus inſigni debilitate comitatis, Vini, et Aromatum, pauxillum, ad vires labaſcentes ſuſtinendas, addi debet; inteſtina interea iiſdem diluentibus, formâ enematis datis, fovenda et reficienda ſunt.

Horum

Horum remediorum delectus in omni casu e medici judicio pendeat oportet: in hac re prudentis erit ægrotanti morem gerere. Ægro appetenti, potus frigidus, crediderim, concedi debet: Cleghorn, Hispanos medicos nullum remedium, in lugendis choleræ exemplis, frigidâ copiosè epotâ, præsentius invenisse refert: hic aquæ usus a veteribus medicis commendatur*. Et sane hoc ipso, quod *æther sulphuricus* cum frigida commistus, commodissimè exhibetur, frigidæ, cum hoc medicamento commistæ, usus in mali exemplis, quæ flatus et abdominis distentio, comitantur, tanquam auxilium potentissimum, suadendus videtur.

Diluentium *cardiacorum*, utilitas constat ex mira felicitate, quam ex eorundem, in quibusdam casibus, usu percepit Dick, qui navis mercatoriæ Queen ad Indiam orientalem destinatæ sanitatem chirurgus regebat:

"The

* Aret. Cappad. de curat. M. A. l. 2. c. 4. et Cael. Aurel. de Morb. acut. l. 3. c. 21.

"The natives of this country," inquit ille, "are alſo ſubject to this diſeaſe, particularly "in September and October, when the nights "begin to turn cold; and, as they ſeldom ap-"ply immediately for aſſiſtance, few of them "recover. The vomiting and purging are "not ſo ſevere; but their pulſe ſinks imme-"diately as the cramp comes on; and as they "ſeldom have much clothes to cover them, "and but the bare ground for a bed, it is "hardly poſſible to cure them. Strong fric-"tions, with hot coarſe cloths, hot ſpirituous "embrocations, and plenty of hot wine and "ſpices, are the only things I ever ſaw of uſe "to them *."

Poſt fellis exinanitionem, vel etiam antè, ſi ægri vires labaſcant, vel nervorum diſtentio violenta et generalis ſit, morboſa corporis mobilitas magnis Opii doſibus, at mole parvis, hauſtûs, vel *enematis*, formâ, prout caſui ma-

gis

* Medical Comment. Vol. 10. p. 212.

gis conveniat, ſtatim conſopienda eſt; quantitas medicamenti præſcribenda, ejuſque iteratio medici judicio relinquenda ſunt.

Nonnullis ægris hauſtus Riverii inter effervescendum ſumptus non ſolum gratus exiſtit, ſed etiam nonnunquam vomitionem, opio fruſtra adhibito, repreſſit*.

Quamvis ſigna hac ratione plerumque levantur; morbus, finito Opii opere, revertendi proclivitatem oſtendit. Hæc revertendi proclivitas ob magnam totius corporis, et preſertim canalis alimentarii mobilitatem per plures dies perſtat. Hinc medicamento iterato per plures dies opus fit; et quibus ventriculus et inteſtina diſtenduntur, his drachmam olei nucis *moſchatæ* expreſſi dimidiam cum opii tinctura in juſculi pullini hauſtu commiſtam, aſſumendam, et prout res poſtulârint, iterandam, commendarem.

PERCIVAL

* GARDINER's Animal Æconomy, p. 347.

Percival, Mancuniensis in tentaminibus ſuis aſpectum noſtrum ad colombo radicis utilitatem in hoc morbo convertit. Felici plerumque exitu, ut nobis confirmat, nullo neque ad bilem exinaniendam, neque ad ventriculum et inteſtina purganda auxilio præmiſſo, in hoc morbo, adminiſtrata fuit. Tormina violenta levat; vomitionem et alvi purgationem reprimit; inordinatos viſcerum motus conſopit; et vires ægri exhauſtas citò reficit.

Quantitas a drachma pulveris dimidia ad drachmas duas tertia, vel quarta quaque, horâ, prout ſigna urgebant, aſſumpta variabat.

Tepidarium hoc malo laborantibus profuiſſe Dick ſequenti narratione teſtatur.

" We arrived in Madras Roads in company
" with another ſhip, at the time the land-
" winds blew hotteſt. Many were ſo ſevere-
" ly attacked with the above complaint, that
" I was under the neceſſity of keeping a caſk
" full of warm water always ready in the gal-

" ley,

" ley, to put the men into, as ſoon as the cramps
" ſeized them. After this they were rolled
" in a blanket, and plenty of warm wine and
" water given as ſoon as the ſtomach was ſuf-
" ficiently ſettled, and every one of them re-
" covered. Before the ſame method was a-
" dopted in the other ſhip, ten or twelve of
" their beſt men died the firſt week *."

SAUNDERS † ſanguinis detractionem, et medicamenta exulceratoria ampla abdomini, morbo naſcenti, imponenda, commendat: iſtius autem modi remedia, in hoc morbo, quem tanta tamque præceps canalis alimentarii exinanitio comitatur, cuique periculoſiſſima debilitas gradu adeò accelerato ſupervenit, parum tuta mihi videntur.

* Medical Comment. Vol. 10. p. 212.

† Treatiſe on the Liver, p. 144.

F I N I S.